



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 5. Plures Parlamenti Patres graviter mulctati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)

composito dixit: *meam Vobis voluntatem significabo, vestrum erit, obedire, vestros clamores non audiam, meae indignationis reos vos quidem fecistis, sed obtemperate, & ad vestra tribunalia revertimini.* Ad hæc, cum Portellius loqui pararet, Rex mox illum interpellans, dixit, *Tace & abi:* majore autem temeritate Abbas Pucellius Regi scriptam Præsidis orationem porrexit, quam tamen Rex illico Maurepasio Comiti tradens, indignabundus respondit: *tolle scriptum hoc & confestim in frustra dilacera.*

Sæc. XVIII.

A. C. 1732.

§. V.

Plures Parlamenti Patres graviter mulctati.

Abeuntibus hisce Deputatis Rex ad suos Proceres conversus, *Faxit*, inquiebat, *ut Parlamentum obtemperet, secus me esse Regem & Dominum sentiet.* Percepto fatali hujus alloquii successu gravem sibi tempestatem impendere, ominabantur omnes: nec vanus erat eorum timor; quippe sequenti die Pucellius Abbas & superioris Curie Decanus in exilium ad Corbigniensem Abbatiam suam deportatus est; Titonus vero noctu militum manu stipatus primo ad Vicennensem arcem, postea Hamonam munitissimam Picardiæ Ur-

Sæc. XVIII. A. C. 1732. bem relegatus est. Quo comperto rursus Deputati Compendium, ubi Rex agebat, convolarunt, supplices, ut eorum Collegæ libertati restituerentur: Verum responsi loco etiam Ogierus Præses, & Vrevinus, Robertus & Fautrierus Consiliarii exilio mulctati sunt: Ea Res tanta animi ægitudine omnium Tribunalium Patres affecit, ut unanimi suffragio declararent, se haud ultra suo functuros officio: Clauduntur ergo altera die supremæ Curix fores, universale justitium indicitur, centum sexaginta sex Senatores officium suum demittunt, Advocati causas forenses agere desistunt, nulli habentur Judicum confessus, & soli centumviralis Senatus Patres jus dicere parant, sed plusquam trecenti de plebe toto impetu in Aulam irrumpunt, eisque incondito clamore exprobrant, quod ipsi soli suorum Sodalium causam negligerent.

§. VI.

Regis mandatum contra Parlamenti Patres.

Hic ipse populi tumultus haud obscurum erat futuræ seditionis prognosticon; quapropter Rex, ut majora præveniret mala, mitiora remedia tempestive opponere decrevit, suoque
Can-